



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XIV. Quod sibi aliquæ creaturæ disciplicerent, ideo se aliquando  
ivisse in opinionem duarum substantiarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## C A P. XIV.

*Quod sibi aliquæ creaturæ displicerent, ideo se aliquando ivisse in opinionem duarum substantiarum.*

I. a **N**on est sanitas eis, quibus displicet aliquid creaturæ tuæ : sicut mihi non erat, cum displicerent multa, quæ fecisti. Et quia non audebat anima mea, ut ei displiceret Deus meus, nolebat esse tuum, quicquid ei displicebat. Et inde ierat in opinionem duarum substantiarum, & non requiescebat, & aliena loquebatur : & inde rediens, fecerat sibi Deum per infinita spacia locorum omnium, & eum putaverat esse te, & eum collocaverat in corde suo, & facta erat rursus templum idoli sui, abominandū tibi. Sed posteaquam fovisti caput nescien-

Psal. 113.  
37. tis, & clausisti oculos meos, ne viderent vanitatem, cessavi de me paululum, & consopita est infania mea. Et evigilavi in te, & vidi te infinitum aliter : & visus iste non à carne trahebatur.

## N O T. AE.

V. I. II. a Non est sanitas eis, &c.) Ex eo, quod Manichæi alias creaturas malas putabant, inde occasionem turpissimi erroris arripuerunt, ut duo principia ponerent. Quia scilicet, ut egregie declarat S. Th. non consideraverunt causam universalem totius entis, sed particulares tantum causas particularium effectuum. Propter hoc enim, si aliquid viderunt esse nocivum alicui rei, per virtutem sua naturæ, estimaverunt naturam illius rei esse malam. Puta si quis dicat naturam ignis esse malam, quia combusit domum alicujus pauperis. Iudicium autem de bonitate alicujus rei, non est accipiendum secundum ordinem ad aliquid particulare : sed secundum seipsum, & secundum ordinem ad totum universum, in quo qualibet res suum locum ordinatissime tenet, et si mala sit, ut fuse docet S. Aug.

I. 3. de  
lib. arb.  
& seq.

C A P.